

tura, & ubi eadem ratio, ibi idem Jus, *Iust. Gobler. hic, in auctario, secus si diversitatis ratio dari potest. Conferendi Steph. & Zieritz. hic, & art. 53. Iohan Zanger. de quaest. c. 2. n. 227. 228.* Natura novas quotidie formas edere deproperat. Quoties verò quid legibus, aut jure definitum non est, toties ad boni viri arbitrium recurrendum est.

## ARTICULUS XXV.

*De indiciis generalibus.*

1. In hoc Articulo proponuntur septem indicia, quorum primùm consistit in qualitate personæ, vitâ antea ctâ, & fama, quæ quasi multitudinis quoddam testimonium, *Ern. Cothm. vol. 1. conf. 1. n. 743. & seqq.* Non autem omnis fama probationis momenta confert. Popularis enim improborum consensu excitata, vel aliàs temeraria & inconsiderata abjicienda est, tanquam quæ solo rumore constet. *Valent. Forst. de iurisd. Rom. par. 2. nu. 79. p. 417.* Latius ego hoc tracto in *Pentade, conf. 3. num. 6.* Videatur *Dn. Herm. Goëhaus in sæpè allegato tractatu iuridico adversus sagas, in notis tit. 1. C. D. E. F. G. H. De famæ definitione, potestate, viribus, & requisitis prolixè disputatur ab Ern. Cothm. vol. 1. resp. 12. num. 154. 155. 117.* Consulendi quoq; *Marq. Freh. 1. de fam. num. 2. 3. 4. 5. 6. 7. Ilic. Vmm. disp. ad process. iud. dir. 18. th. 4. n. 12. Beust. in l. admonendi, num. 1118. ff. de jurejur. Matth. Steph. hic, num. 2. 3. Responsum iuris in arduâ & gravi quâdam causâ concernente processum quendam contra sagam nulliter institutum, p. 35. n. 201. & p. 46. num. 256. cum seqq.* Et ego latissimè de hac materia egi in *meis laboribus, sive meditationibus ad praxin Iudiciariam directis, decad. 4. med. 10.* Fama mala sola, quantumvis legitimè probata, non sufficit ad torturam, *art. 44. Cothm. d. conf. 12. n. 183. 184. & seqq. nu. 117. & seqq.* ut fama bona impedit inquisitionem, *Cothm. vol. 1. conf. 7. num. 58. 59.* Secus verò est, si fama mala aliis adminiculis fulciatur, & reus probetur malis & improbis moribus, ut delictum commissum verosimiliter ab ipso perpetratum fuerit, & si quid ante huiusmodi facinus commiserit, vel attentarit, aut propterea suspectus fuerit. A præterito enim præsumitur circa præsens. *Zieritz. hic, verb. nunquid ante.* Sic suspectus de adulterio, si contra interdictum Magistratus in domo suspectæ mulieris, præsertim verò tempore suspecto, deprehendatur, & factum neget, absque aliis indiciis quæstioni subjici potest. *Dan. Moller. 3. semest. 16.* & quidem præsumitur quis; ut vulgò dicitur; bonus, nisi in aliquo deliquisse probetur, *Ego decad. conf. 1. quæst. 10. n. 148. & Pentad. conf. 1. num. 23.* Quid? Homo nativa sua indole non secus ac ferrum naturali sua gravitate deorsum in pejus semper fertur, *Nicol. Machiav. lib. 1. de Republ. cap. 3.* quilibet à juventute imbibit iniquitatem, sicut aquam, *Iohan. 15. v. 16. Psalm. 51. v. 7. Genes. 8. v. 21. Roman. 7. v. 14. 21.* & cujuslibet ea est natura, ut, modò libeat, omnia sibi licere putet *Scalig. exerc. 33. sect. 1.* propter redundantem in vita humana perversitatem, *Novell. Leon. 41. & 83.* Ideò Seneca: Bonus (inquit *Epist. 42.* vir fortasse tanquam Phœnix semel anno quinquagesimo na-